



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

**Panegyricvs, Die Natali Academiae Theodorianae  
Paderbornensis, Reuerendissimo, atq[ue] Illustrissimo  
Principi, ac Domino, Theodoro, Episcopo Ecclesiae  
Paderbornensis, S. R. I. Principi, Fvndatori Eivs ...**

**Horrion, Johann**

**Paderbornæ, 1616**

Capvt III. Religio Christiana, Paderborna manuit in vniuersam  
Vvestphaliam, Bonae litterae in Vvestphalia, ab initio comitatae  
Religionem Christianam.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-14243**

te, & opibus, & prouinciarum amplitudine, clientelisque florentes non dubitent de honore concedere?

## C A P V T III.

Religio Christiana Paderborna manauit in vniuersam VVestphaliam. Bonæ litteræ in VVestphalia ab initio comitatæ religionem Christianam.

**D**EINDE cui dubium est, quin Christiana religio Paderborna, velut à capite, in vniuersam VVestphaliam permanarit? Etenim gente vniuersa à Carolo Magno perdomita hic prima Synodus est habita, in qua primoribus, magnaque populi multitudine baptismo lustrata, salutare primum rogatæ leges, & iura sancita sunt. Itaque vir eruditus, & pius, qui Arnulfi Cæsaris ætate studijs litterarum, & sanctimoniam florebat, pulchra sanè imagine, Paderbornam eum locum esse scripsit, vbi duri ad eam diem, atque instar filicis indomiti Saxonum animi, ferro D. Caroli icti tandem in scintillam Christianæ fidei emicuerint. quæ scintilla in immensum postea crescens incendium, nō Saxones modò omnes, sed Vandalos quoque, aliasque remotissimas gentes corripuerit. Vnde idem existimauit Paderbornensi Ecclesiæ rubram crucem pro insigni relictam esse, quòd in ea primum Saxones, & VVestphali cruentis Caroli prælijs compulsi, sub hoc CHRISTI signo militare cœpissent. Quid tum postea? dicet quispiam. sit sanè VVestphaliæ Religio primum nata Paderbornæ. num ideò Academia insignib<sup>9</sup>

[Ann. Fræcorum, Regino, alij anno Domin. 777.]  
[Apud Gobel. in Cosmod. et 6. cap. 38]

vna digna est? non equidem id nunc pugno: sed tamen æquum esse censeo vt quæ ex Vrbe tota olim VVestphalia haufit Religionis initia, in ea ne ægrè ferat domicilium construi, vnde omnium, quæ quidem religioni ancillentur, artium ratio petatur. Equidem ipsas artes existimo, si rogarentur qua in Vrbe VVestphaliæ certam sibi sedem figi vellent, non aliam delecturas, atque eam, quam Religio, vnde in omnes plagas se latè diffunderet, primam optasset. Etenim illæ postquam vnà cum Religione inde ab vltima Britannia in has oras nauigarunt, omniumque fuerunt eius periculorum participes, tandem in hac Vrbe vnà cum illa primum stabile domicilium collocarunt. Constat enim sanctissimos illos viros, qui ex eadem prognati Saxonum gente, in Britannia, missam sibi Roma & fidei, & doctrinarum lucem hauserant, neutiquam commisisse, vt cognati Saxonix & VVestphaliæ populi alterutram ad se non importatam esse iure queri possent. Sic enim viderant à suis illis in Britannia præstantissimis magistris vsurpari, vt arctissima semper retineretur inter Religionem, Doctrinamque concordia. Cuius instituti præcipuam sibi laudem vendicat Theodorus Archiepiscopus Dorouernensis, qui natus Tharsi vrbe Ciliciæ, à Vitaliano Papa initiatus, in Britanniam venit anno CHRISTI DC LXVIII. Is cum sacris profanisque litteris esset insigniter eruditus, haberetque suorum laborum socium, atque comitem Adrianum Abbatem natione Afrum virum item doctissimum, mirificum studiorum ardorem in Britannia omnium animis iniecit. Audi enim quid de vtroque narret Venerabilis Beda. Quia, inquit, litteris sacris, simul & sæcularibus, vt diximus, abundanter ambo erant instructi, congregata discipulorum ca-

terua,

[Beda lib.  
4. hist. ca.  
1.]

[Lib. 4.  
hist. Eccl.  
Angl. cap.  
2.]

terua, scientiæ salutaris quotidie flumina, irrigans  
 dis eorum cordibus emanabant, ita vt etiam me-  
 tricæ artis, Astronomicæ, & Arithmeticæ Eccle-  
 siasticæ disciplinam, inter sacrorum apicum vo-  
 lumina suis auditoribus contraderent. Indicio  
 est, quòd vsque hodie supersunt de eorum disci-  
 pulis, qui Latinam Græcamque linguam æquè ac  
 propriam, in qua nati sunt, norunt. Neque vn-  
 quam prorsus ex quo Britanniam petierunt An-  
 gli feliciora fuere tempora, dum & fortissimos  
 Christianosque habentes reges, cunctis barbaris  
 nationibus essent terrori, & omnium vota ad nu-  
 per audita cœlestis regni gaudia penderent, &  
 quicumque lectionibus sacris cuperent erudiri,  
 haberent in promptu magistros qui docerent.  
 Delectat me, fateor, Princeps Illustrissime, hæc sanctissimi,  
 & eruditissimi Theodori memoria vel eò, quòd te eiusdem  
 auspiciatissimi nominis Præsulem, sentiam eandem tempo-  
 rum felicitatem VVestphaliæ conciliare conari. Quid  
 enim aliud agis, quid moliris, nisi vt Respub. pacis otio, &  
 tranquillitate aliquando reddita, omni diuinæ humanæq;,  
 sapientiæ vbertate perfruatur? Huius è Theodori ludo  
 prodierunt viri illi sanctissimi Bonifacius, Suibertus, E-  
 vvaldi & alij, qui paullò post eius excessum, vt hanc, vici-  
 nasq; terras CHRISTO subiungerent, inde sunt profecti.  
 Non enim illi solam religionis, verùm etiam omnis libera-  
 lis doctrinæ lucem se afferre profitebantur. Sed nimi-  
 rum diu nimium nostrates vtramque sunt aspernati: diu  
 frustra stabilem in VVestphalia sedem, & domicilium que-  
 sierunt.

fuerunt. Si quidem inter assiduos fremitus armorum, & rebellium bacchationes nusquam tutò templa, nusquam scholæ ponebantur. Interea extra VVestphaliã, quæ media patriæ iactatione eripi poterant, sub idoneis magistris VVestphali adolescentes Christianis moribus, & doctrinis utcumq; tingebantur. Nam Traiecti ludus erat, quem D. Gregorius regebat D. Bonifacij Martyris auditor. In eo S. Ludgerus, qui deinde primus Monasterij Antistes fuit, erudiebatur, & vnà cum eo, ut ipse loquitur, quidam de nouella Dei plantatione diebus nostris inchoata Fresonum, & Saxonum. VVirceburgi quoque D. Caroli voluntate duodecim nobilissimi adolescentes, D. Burckardi præceptis imbuebantur, è quibus duo primi Paderbornensis Ecclesiæ Præsules sunt delecti. Quid quod eiusdem Imperatoris instituto Romæ eiusdem gentis quasi quoddam seminarium fuit, quod Schola Saxonum dicebatur, non longè ab æde S. Petri, ut in ipsa quasi Catholicæ Religionis arce vna pietatem, litterasque condiscerent? At verò postquam Magni Caroli inuicta virtute in Paderbornensi Synodo totius VVestphaliæ consensu CHRISTI fides suscepta est, noluit illa sine comitatu bonarum artium, ac disciplinarum, quas constantissimas aduersis suis rebus comites habuerat, patefactos jam sibi VVestphaliæ fines ingredi. Idem igitur dies, eadem Synodus, eadem Paderborna omnium quæ deinde in VVestphalia extiterunt & templorum, & Scholarum vno eodemque decreto fundamenta posuit. Parne erat eam eius boni expertem remanere, cuius ipsa cæteris vrribus, ac terris tandiu frustra expetitam facultatem obtulerat? Potestne illa indigna videri, quæ omnium disciplinarum honestarum vocibus personet, in qua primum illa vox audita est consentientis, conspirantisque VVestphaliæ, ut armis

[S. Ludgerus in cõmem. de SS. Bonifacio, & Gregorio.]  
 [Vide Baron. in Mart. ad 10. Nou.]

armis positis, abiecta impietate, exturbata barbaria, pax, religio, humanitas, & humanitatis parentes bonæ litteræ cohererentur?

## C A P V T IV.

Olim quoque & inferiores, & sublimiores doctrinæ Paderbornæ flourerunt.

**V**IDE, Princeps Illustrissime, quæ mens fuerit maiorum tuorum, grauiſſimorum huius Urbis Antistitum, quibus non mediocri studio fuit, in ea omnium artium studia nutrire, quibus salutaris fides propagatur, atque defenditur. Intelligebant enim VVestphalis vsuuenisse, quod alicubi confirmat Augustin⁹: *[Ep. 20. ad Bonif.]* Multis, inquit, profuit (quod experimentis probauimus, & probamus) prius timore vel dolore cogi, vt postea possint doceri. Igitur quo in loco, terrore armorum fortissimi Imperatoris compulsa VVestphalia, Christiana sacra suscepit, in eo prouidendum sibi putarunt, ne vnquam deessent magistri exercitationesque doctrinarum. Quæ tametsi nullo fere tempore omninò jacuerunt, fuit tamen cum eo ardore celebrarentur, vt, præter hodiernum Academiæ nomen, nihil admodum desiderares. Quæ enim tempestate, vt alios præteream, Meinvercus ille Paderbornæ nobilissimum decus, ad clauum huius Ecclesiæ sedebat, non modò optimi Latinitatis auctores Sallustius, Virgilius, Stadius explicabantur, verum etiam florentissimi adolescentes, Rhetoricis, Dialecticis, Arithmeticis, Geometricis, Physicis, omni deniq; genere liberalis eru-

H

lis eru-